



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**AntiLutherus Judoci Clichtouei Neoportuensis. Doctoris  
Theologi, Academiae Parrhisie[n]sis**

**Clicthove, Josse**

**[Köln], 1525**

**VD16 C 4189**

Monasticum institutum, sacræ scripturæ authoritati haudquaq[ua]  
aduersari: & in bonis operibus homines etiam deo coagentes esse, nec  
solum in illis passiuè se habere. XVII

**urn:nbn:de:hbz:466:1-36183**

splendori. ¶ Ipse quoque altisonus Christi præco euangelicæq; tuba  
**P**aulus, qui plus omnibus laborauit, & ab Hierusalem usque ad Il-  
 lyricum repleuit loca omnia euangelio Christi: nonne perfectiora  
 habuit & præstantiora opera, ijs qui non tantum impenderunt la-  
 boris ad annunciandum mundo Christum: aut qui nullum subie-  
 runt prædicandi euangelij laborem: cum in Daniele scriptum sit:  
 quod qui ad iustitiam erudierint multos, fulgebunt quasi stellæ in  
 perpetuas æternitates. ¶ Quis etiam suæ mentis compos inficiari  
 ausit, opus martyrii longe esse præstantius cæteris operibus bonis  
 minus arduis: cum dictum sit à domino: quod maiorem charitatē  
 nemo habet, quàm ut animam suam ponat quis pro amicis suis.  
**H**æc paucis perstricta sunt: contra hanc pestiferā Lutheri de ope-  
 rum honorū æqualitate assertionē. Quæ qui uoluerit amplius im-  
 probatam perspicere: ad liquidum beati patris Hieronymi fontem  
 sã monstratū appropere, & de uiua illius aqua pleno cratere hau-  
 riat fluenta sanæ doctrinæ.

¶ Monasticū institutū, sacræ scripturæ athuoritati haud  
 quæ aduersari: & in bonis opibus homines etiã deo coa-  
 gentes esse, nec solū passiuè se habere. **Cap. XVII.**



**S**eptima Lutheri obiectio. Institutio monastica re-  
 pugnat authoritati sacrarum literarum: potissimū  
 illi quam beatus Paulus scribit ad Timotheum, ta-  
 xans peruersam aliquorum doctrinam prohiben-  
 tium nubere, & abstinere à cibus quos deus creauit  
 ad percipiendum cum gratiarum actione, fidelibus. Hanc au-  
 tem doctrinam (inquit) sequuntur monasticæ uitæ cultores: indu-  
 centes cælibatum & abstinentiam à carnibus, & ita prohiben-  
 tes nuptias: docentes que abstinere à cibus, humano generi in u-  
 sum à deo concessis. Aduersatur etiam obseruatio monachalis: il-  
 li uerbo beati Pauli ad Colossenses. Nemo uos iudicet in cibo aut  
 in potu, aut in parte diei festi, aut neomeniæ aut sabbatorum: quæ  
 sunt umbra futurorum. Et paulo post eodem loco. Si ergo mortui  
 estis cum Christo ab elementis huius mundi: quid adhuc tanquã  
 uiuentes mundo decernitis? Ne tetigeritis, neq; gustaueritis: neq;  
 contrectaueritis, quæ sunt omnia in interitum ipso usu, secundū p-  
 cepta & doctrinas hominum: quæ sunt rationem quidē habentia

**V** 2 sapientiæ

X.  
1. Corin. 15  
Roma. 15

Danie. 12.

XI.

Ioan. 15.

I.

1. Timo 4

I.

Coloss. 2



LIBER TERTIVS.

» sapientiæ in superstitiõe & humilitate. Nempe instituti monacha  
 » lis professores delectũ faciũt ciborum & discretionem secundum  
 » traditiones suas: quod in prædictis uerbis prohibet beatus Paulus,  
 » & in alijs multis suarũ eplãrũ locis. Vetat etiam apostolus hisce  
 » uerbis p̄dictis, credẽtes in Christũ decretis hoĩm teneri: cõformis  
 Matth. 15 » ea in re uerbis Christi, adducentis contra Phariseorum traditio-  
 » nes illud dictum propheticum. Frustra autem colunt me: docen-  
 » tes mandata & doctrinas hominũ. Idem quoq; admonet & Pau-  
 » lus, scribens ad Titum & fideles adhortans: q; nõ sint intẽdentes  
 Titum. 1 » mandatis hominum auersantium se à ueritate. At uero instituta  
 » cœnobitica nihil aliud sunt: q̄ humana placita & mandata, q̄ suo  
 » sensu adinuerunt homines, & suo arbitratu constituerunt. Non  
 » est igitur probandum hoc uitæ genus: quod tot & tantis scripturæ  
 II. » locis plane reluctatur & refragatur. Hæc Lutherus. ¶ Respon-  
 » sio. His omnibus in præsentẽ adductis obiectione: propemodum  
 » satisfactum est & abunde, in primo huius operis libro, præsertim  
 » in decimo octauo. & uicesimo primo eius capite. Quoniam tamen  
 » hoc in loco adducunt etiam à Luthero: non pigebit in transcurso  
 » de iisdem adhuc aliquid differere, ut lætali ueneno præsentaneũ  
 » sit antidotum. In primis igitur ea Pauli uerba ad Timotheum, in  
 Taciani » ipsa obiectionis huius fronte citata: contra Tacianos dicuntur, da-  
 » mnanter connubia in uniuersum, tanq̄ humano generi illicita. &  
 » Seueriani » contra Seuerianos: improbanter usum certorũ ciborum, tanq̄ omni-  
 » bus sine discrimine uetitum. Monachi autẽ & uitæ eorum institu-  
 » tores, hoc modo nõ prohibent nubere: quasi nuptiæ omnino sint  
 » etiam quibuslibet illicitæ. nec cibos in totum uetant & interdi-  
 » cunt: quasi cuius hominum generi noxios. Sed docent nonnul-  
 » los certũ uitæ genus professos: licite à nuptijs & certo ciborũ gñe  
 » abstinere, ad frenationem uoluptatũ corporis & castigationem car-  
 » nis. Quæ sane doctrina: nec euãgelio nec apostolicis documentis  
 » nec ueritati repugnat. qm̄ nec diuina lex nec humana prohibet  
 » quempiã sponte sua ab ijs abstinere, quæ alijs sunt concessa: ut ca-  
 » stiget corpus suũ cũ apostolo, & in seruitutẽ spiritus redigat. Quis  
 » em̄ nisi prorsus impius, sanctissimũ Christi præconem Ioannẽ Ba-  
 » ptistam reprehendendum duxerit: q; aliorũ hominũ more, uinum  
 » & siceram non biberit, & carnibus non fuerit usus in cibum, ob qd  
 » sane



sane: datissimo est extollendus præconio. **Quis item Rechabitis** **Hiere. 3.**  
 id uitio dederit: q̄ præcepto parentes paterno, abstinerint perpe-  
 tuo ab usu uini: ob quod apud **Hieremiam** mirifice cōmendatur  
 à domino: tantæq̄ obediētiae merces illis ampla repromittitur. **Ne**  
 q̄ em̄ abstemiij fuerunt & temperarunt à potu uini, quoniã malũ  
 erat aut insalubre uinum: sed ut paternæ uoci obtēperarent. **Quē-**  
 admodum è diuerso primi parentes nostri non offenderunt deũ  
 in esu pomi uetiti: quoniã illud esset incolumitati corporis officies  
 atq̄ incōmodans bonæ eorũ ualitudini, cū id ipsum mulier uiderit, **Gene.**  
 teste scriptura, esse bonũ ad uescendum: & pulchrum oculis, aspe-  
 ctuq̄ delectabile. **Sed** ex ea fructus uetiti manducatione grauem  
 incurrerunt culpã: quoniã contra dei legem sibi præscriptã & cō-  
 stitutã, illum comederunt. ¶ **Ea** uero beati Pauli uerba ad **Colos-**  
**senses**, secundo in hac obiectione adducta loco: intelliguntur de  
 discretionẽ ciborũ ritibusq̄ & cærimonijs ueteris legis, quæ omnia  
 coruscante legis euangelicæ luce uim suã & efficaciam deperdide-  
 runt. **Neq̄** per religionis monasticæ cultores, resuscitatur eorum  
 rituum usus: aut profertur in auras. sed noua facta sunt instituta  
 circa ciborũ usum: nulla habita ad ueterẽ legem aut eius constitui-  
 tiones ratione. **Quare** hæc omnia quæ ad **Colossenses** scribuntur  
 perperã hic applicat **Lutherus** ad delectũ ciborũ, qui in professi-  
 one monachali constitutus est, nec non ad ritus & cærimonias: in  
 diuersis religiosorũ domibus uario modo atq̄ rationabiliter institur-  
 tas. In his em̄ omnibus: scripturæ peruertit intelligentiam: & uerba  
 apostolica ad suum detorquet sensum, à recta illorũ sententiã lon-  
 ge abhorrentẽ. **Quod** & in cæteris etiã facit scripturarũ locis: in  
 præsentĩ obiectione, tertio citatis ordine, & prætendentibus decre-  
 ta hominũ minime esse seruanda. **Nēpe** & illud beati Pauli dictũ  
 ad **Colossenses** quod hic affertur, & uerbũ **Esaiæ**, itidẽ & Pauli  
 ad **Titũ**: accipienda sunt de mandatis & doctrinis hominũ, quæ de  
 doctrinæ præceptisq̄ aduersantur. quales erant **Pharisæorũ** tra-  
 ditiones: diuinis mandatis contrariæ. **Non** aut̄ debent intelligi de  
 constitutionibus humanis, diuinæ legi cōcordantibus: magnamq̄  
 præstantibus opem, ut mandata dei integrius & sinceriùs obser-  
 uentur. Atqui religiosorũ statuta & leges: nullam habent cum di-  
 uinis præceptis diaphoniam atq̄ discordiam, quinimmo illis ma-



- gna concinnitate & harmonia cōcordant. Neq; humano tantum  
 sensu adinuenta censeñi debent ea monastica vitæ instituta: sed  
 spiritu sancto suggerēte ea cordibus sanctorum patrum, primum  
 sancta certisq; regulis digesta, quinimmo & ex ipso euangeliō  
 liquido fonte (ut prius est ostēsū) deducta. Non ergo ut huma-  
 na placita, contēnenda sunt: sed ut à deo authore primatio profe-  
 cta, commendanda. ¶ Cæterum non est in præsentia sine excti-  
 bratione prætereundū id Lutheri uerbum: circa hunc locū, suo  
 (quem nūc improbamus) libro insertū. Debemus (inquit) nos deo  
 ductiles præbere: ut ipse in nobis operetur, nō nos operemur, &  
 ergo relicta operū fiducia: inniti soli fidei ac fiduciæ dei. Quo qui-  
 dem in uerbo subinsinuat Lutherus improbū illud dogma & scie-  
 pturæ sanctæ aduersum: in bonis operibus nos debere tantū passi-  
 ue (ut ita dixerim) nos ipsos habere. ut nihil in illis agamus ipsi nec  
 operemur: sed deus totum in nobis operetur. ¶ Si eñ ita se res ha-  
 beret: minus essemus operū illorū causæ, q̄ instrumenta artis aut  
 organa naturæ suarū operationū. Quāuis eñ illa à præcipuo mo-  
 ueantur agente, ut artifice aut forma substantifica: nihilo secius a-  
 liquā habent agēdi rationē, & coagentia dicuntur & coefficientia:  
 ob secundariā operādi uim, illis ut organis insitam. Nostra uero uo-  
 luntas & anima, non solum à deo ut præcipuo moueretur authore  
 ad opus bonum: sed ut toto & omnimodo authore, nobis nullo pa-  
 cto concurrentibus ad illius operis efficientiā. ¶ Quod si ita esset:  
 cur tale opus, nostrum diceretur: qui nihil illius ageremus? Cur itē  
 deus ipse opera bona quibus mādata illius obseruarem, donaret  
 præmio, & remuneraret ampla mercede cælestis gloriæ: si nihil in  
 illis nostrū esset, quod ageremus? Quid in nobis (oro) coronaret  
 deus, & æternæ felicitatis brauiō dignaretur: si totū esset suū quod  
 in bono fit opere, & nostanq̄ truncus iners, tanq̄ lapides & saxa, lu-  
 men aut calorem (quē neutiq̄ efficiunt) suscipientia: moueremur  
 ad opus? ¶ Dictū est utiq; in psalmo, eū in tabernaculo dei habita-  
 turū: qui ingreditur sine macula, & operat iustitiā. Et in fine eius-  
 dem psalmi subiunctum. Qui facit hæc non commouebitur in æ-  
 ternum. Operari autem & facere, secundum rectas grammaticæ  
 leges: nonne agendi significationem, & non patiendi, fortiuntur.  
 ¶ Rursum in euangelio dicit Christus. Non omnis qui dicit mihi  
 domine,



domine, domine: intrabit in regnū cælorū, sed qui facit uoluntatē  
 patris mei qui in cælis est: hic intrabit in regnū cælorum. **E**t legis-  
 petito post enumerationem præceptorum decalogi quam recen-  
 suerat: respondit **Christus**. **H**oc fac: et uiues. **F**acere autem uolū-  
 tatem patris cælestis, et facere mandata legis: actiuam nimirum ra-  
 tionem, non passiuam in agentibus insinuant. ¶ **E**t ut paucis agā,  
 tota ueteris et noui testamenti pagina his scatet sententijs: quæ si-  
 gnificant nos etiam bonorum operum authores esse et actores.  
**Q**uod si ex plurimis unam adhuc libet audire: cum dominus no-  
 ster discipulis suis dixit in diuino illo sermone post cœnam extre-  
 mam. **S**ine me: nihil potestis facere. nonne hanc subindicauit af-  
 fertoriam. me adiutore: aliquid potestis facere? quem admodum &  
 palme in uite manens, & ab ea germinandi uim sortitus: fructum  
 producit, ipsius uitis adiutorio. **P**ossumus itaq; à deo adiuti bona  
 facere opera: quorum etiam simus authores & efficientes, nō qui-  
 dem præcipui & primarij: cum deus sit prima eorum causa, sed se-  
 cundarij & subsequentes. ¶ **Q**uare sentiendum est inconcusse et  
 firmiter: diuinam in nobis gratiam & deum, præcipuam in nostris  
 bonis operibus & primariam agendi uim habere. **N**ostram autē  
 uoluntatem, diuino motam præsidio: etiam illorum operum cau-  
 sam esse operatricem atq; instrumentariam, ut quæ moueat & ui-  
 res animi intraneas & corporis membra in executionē operis. &  
 hoc ipsum à deo in nobis coronari: quod eis sponte nostra coopere-  
 mur. ¶ **Q**uod etiam ex hoc uno **Pauli** uerbo aperte conuincitur,  
 qui cum ad **Corinthios** scribens dixisset: se plus omnibus aposto-  
 lis laborasse in annūciando dei uerbo, ne sibi soli id opus bonū at-  
 rogasse uideretur: cōtinuo subiunxit. **N**on autē ego: sed gratia dei  
 mecum. **E**cce dei gratiam, illius indefessi laboris causam præcipu-  
 am: & **Paulum** illi cooperantem, eiusdem causam effectricem se-  
 cundariam. ¶ **C**onsonat eidem & illud **Esaiæ** uerbum. **D**omine  
 dabis pacem nobis: omnia em̄ opera nostra, opatus es in nobis. **V**bi  
 planū est, prophetam de bonis operibus facere sermonē: quando-  
 quidē mala opera nequaquam operatur deus in nobis. **A**t huiusmodi  
 opera appellat **Esaias** nostra: quia aliquā efficiendi rationem habea-  
 mus in illis, & simus quodā modo illorū causæ efficientes. **E**riue-  
 ro si nihil actiue uirtutis haberem⁹ ad ea opera, sed tantūmodo dei  
 actionē

Math. 7

Lucæ. 10

IX.

Ioann. 15

X.

XI.

1. Corin. 15

XII.

Esaiæ. 26



actionem in nobis suscipere, nihil ei coëfficientes: non deo dixisset propheta: omnia opera nostra operatus es, sed, omnia opera tua operatus es nobis. Cum itaq; testetur propheta, deum omnia opera nostra esse operatum: constat profecto nos illorum operum esse etiã effectores, ob quod, merito nostra dicantur. ¶ **XIII.** Demũ & oculus ipse lumine phœbeo collustratus, & illius adminiculo colores discernēs: idem dilucide pandit. Nempe in naturali illa uisione, oculus non solũ receptat in se lumen à sole, superne sibi infusum; sed & natua uirtute perficit unã cũ lumine uisionē coloris, & ipsi cooperatur lumini. Si enim irradiatio illa solis dũtaxat oculo insulgeret, non coëfficienti uisionem: sed sopito & torpido, quemadmodum accidere solet ijs, qui apertis oculis & nullo palpebrarum uelamine adopertis, somnum capiunt: nulla tum fieret per oculũ discretio colorum aut inspectio, quod uis illa natua oculi nõ esset ad actionem uitalem excitata, sed ligata, segnis & torpens nõ aliter in se lumen suscipiens, quã speculum inanime & arte politum, imaginem, quam non discernit. Haud absimili modo anima rationalis, ad bonũ opus agendũ: & gratiam dei, ut fulgorem quendam spirituale & calorificũ, in se admittit: & adiuta illiº subsidio, cooperatur ipsi ad illius boni operis productionẽ. Quocirca nõ solum patitur ipsa: sed & agendi illius operis uim quandã obtinet. ¶ **XIII.** Postremum, **Mat. 7** in euangelio frequenter homo bonus confertur arbori bonæ: sicut & malus malæ. ut cum ait dominus noster. Omnis arbor bona fructus bonos facit: mala autem arbor malos fructus facit. Omnis arbor quæ non facit fructum bonum: excidetur, & in ignem mittetur. Atqui arbor ut fructum suum proferat: non solum à terra suscipit alimentum, & à solari uirtute uim uiuificatricem & productricem: sed etiam genuina uis & intima formæ substantialis actione coëfficit ad ipsius fructus æditionem. Igitur & homo, tanquã spiritualis arbor plantata in horto dominico: cooperatur superne gratiæ, ad fructus bonorum operũ largiter proferendos. ¶ Sed de his hactenus. Quod autem subnectit in prædictis uerbis Lutherus, nos relicta operũ fiducia, soli dei fiducię inniti debere: supra excessum est & improbatũ, capite huius libri decimotertio.

¶ Bonorũ spiritualiũ cõmunicationẽ, inter mēbra corporis mystici fieri: & unius in alterũ distributionẽ. **Cap. XVIII.**  
Sed